



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Genesis Mimus M. 25. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

25. Aug.

VITÆ SANCTORVM.

417

*animorum requirit affectum : non inspicit ornamenta corporum, sed considerat merita cordium; nec cinguli operositatem miratur, sed castimonia libidinem restringentis pudicitiam miratur. S. Max. in Vig. Nat.*

S. GENESIUS MIMUS M. 25. Augusti.

CUM Comœdias hucusque & risum dedisset GENESIVS, tandem posuit hodie soccos, & cothurnos indutus tragœdiam & sanguinem dedit. Nempe doctissimus Mimus, cum mores ritusque Christianos ad amissim perdidicisset, fabulamque oculis Diocletiani dare instituisset, æger in theatro procumbit, aquasque lustrales multis gemitibus suspirat. Adfunt ex composito socii & undas petenti simul Imperatori ac populo risum propinant. Interea serio rem agit, aliaque spectacula GENESIO cælum facit. ostendit benè longum scelerum, quæ patrauerat, catalogum, atque his, modò velit, spongiam baptismum promittit. Hic enim verò Christum GENESIVS conclamat, & Christianum se jactat, nimis benè simulare jam doctus. Igitur risus, plausus muneraque missa Mimi artes laudabant. Imperator quoque ludos post ludos sperans milites mittit, qui GENESIVM (Christianum scilicet) ad tribunal raperent. Sed hic secutus ostendit reipsa Diocletiano, etiam post positam personam, Christianum se esse. Tum enim verò in furorem abire ille, palam fassus sanguinem se gestire bibere GENESII. Et dedit hic sanguinem ex equuleo pendens, ferreisque uncis lacer & tædis ustulatus. Jamque ultimus actus è fabulâ restabat. Hunc more jam apud Martyres recepto mors gladio absolvit. Et nimirum luxit tunc Romana delicias amissas. at Superi tunc primum Mi-

S. S.

mo.

mo etiam ipsi adridebant. Ex Surio & Baron.

*Cesset vitiorum pruritus pestifer, discutiatur à sensibus caligo tota pompæ secularis, abjiciatur à mentibus mundana cupiditatis illusio, appetatur paupertas Christi, sanctitas anima custodiatur, ut imago Creatoris nostri portetur & clarescat in nobis. S. Pet. Chryf. Serm. 117.*

S. LUDOVICUS REX C. 25. Augusti.

**V**itam omnem LUDOVICI noveris, si leges noveris, quas sibi primò, tum deinde filio dixit. Harum capita habe. I. Deum præ omnibus amato. II. Peccatum mortiferum ceu anguem fugito. III. Adversis ne deprimitor. IV. néve prosperis extollitor. V. Animæ plagas spiritali medico crebrò nudato, & medicinam quamvis asperam nullam respuito. VI. In precandi studio assiduus esto. VII. Animum in miseros pium & liberalem gerito. VIII. Cum animo malè est, in consilium quam mox virum bonum adhibeto. IX. Boni tibi nunquam non adsunt, mali semper exsunt. X. Bonum omne amplectitor, malum omne detestator. XI. De Deo loquentibus aures lubenter dato. XII. obtreccionibus verò obferato. XIII. Deum Divosque impunè, te Rege, nulli laceffunt. XIV. Gratus Deo in primis, sed & hominibus esse memento. XV. Pro tribunali æquus esto, & pauperum querimonias ne negligito. XVI. In causâ tuâ, dum res non liquet, contra te statò. XVII. Aliena ocyus restituito. Clero & Religiosis pro scuto esto. XVIII. Parentibus amorè deferto. XIX. Bella si contra Principes Christianos gerere necessitas suadet, sacris parcito. XX. Lites pro virili dirimito. XXI. In Magistratus sedulò inquirito. XXII.